

buntur, dudum respondiſſem ad honorificum quem mihi offers favorem, quod tamen ne verbo in ultimis, quas periſſe refers, tetigi.

Acta noſtra prodeunt et nitidiori caractere et papyro puriori et formâ majore; excludimus omnes ſcientias minoris momenti; nec dubitamus quin cum prodeant vobis accepta erint. In his hoc anno videbis *Orchides* et affines omnes mihi notas, differentiis, varietatibus, ſynonymis omnibus mihi cognitis et locis natalibus designatas \*.

Illuſtriſſimis Membris Societatis veſtræ, meis verbis, humillimè ſalutes et gratias age, pro ſummo honore quo me amplecti non dedignati ſunt; honorem ab eis mihi generoſiſſimè oblatum ſummâ veneratione agnoſcam, et ſemper ſollicitus ero, ut ullo modo eorum deſideriis ſatisfaciam; ſi velint me inter ſuos numerare, erit quod piâ mente ſemper excipiam; obſervationes, quales demùm poterò, mittam \*\*.

Quæris quid hodiè ego; reſpondeo :

1° *Bibliotheca mea Botanica* \*\*\* jamjàm parata erit.

---

\* *Act. Acad. Upsal. 1740.*

\*\* Linné fut nommé *Membre Correspondant* de l'Académie de Montpellier le 31 mai de cette année.

\*\*\* *Bibliotheca Botanica recensens libros plus mille de Plantis, etc.*